

Missarum solemniam, servandum esse Cæremoniale, et in reliquis ex deductis negative; et proposito die 16 Maii diei anni eodem dubio vigesimo septimo: An sit standum, vel recedendum a decisio? censuit quoad primam et secundam partem in decisio, quoad tertiam concionante Episcopo cum cappa et stola servandum rursus esse concilium provinciale, concionante vero cum mozetta, servandam esse resolutionem Sacræ Congregationis Rituum. »

ADDITIONES AUCTORIS.

(63. Pro intelligentia assistentiæ debitæ Episcopo attendenda est resolutio data ad sequentia dubia a Sacra Congregatione Concilii in Licien., die 17 Augusti 1641, ibi: Primo: An decretum Sacri Concilii cap. 12, sess. 24, de Reformatione, locum habeat, dum Episcopus in sua Ecclesia cathedrali assistit cum cappa Missæ, et divinis officiis diebus Dominicis et festis, etiam non solemnibus, et in diebus ferialibus Quadragesimæ?

Secundo, an locum habeat, quando Episcopus in aliis Ecclesiis sibi subjectis, in civitate existentibus, pontificaliter celebrat, vel paratus assistit cum pluviali et mitra, aut cum cappa divinis officiis, et Missæ solemnibus, vel alia pontificalia exercet, tam occasione alicujus sancti, qui in ipsis Ecclesiis solemnizatur, quam alia occasione, si numerus sufficiens Canonicorum, et ministrorum in Ecclesia cathedrali remaneat?

Tertio, an habeat locum, cum Episcopus cum cappa in Ecclesia cathedrali assistit concioni quæ solita est haberi post Missam conventualem diebus Quadragesimæ, et etiam aliis intra annum?

Quarto, an similiter habeat locum, quando Episcopus intervenit cum cappa concioni quæ habetur in aliis Ecclesiis civitatis etiam exemptis diebus festis, vel ferialibus Quadragesimæ, et intra annum; aut si saltem duo ex iis compelli possint ad sibi assistendum hinc inde a sua Sede, et si isti duo debeant esse digniores, dummodo non sint legitime impediti, seu illi qui solent assistere in Ecclesia cathedrali, vel omnes per turnum alternis vicibus?

Sacra etc., ad primum respondit: Decretum Sacri Concilii cap. 12, vers. *Omnes vero*, sess. 24, habere locum.

Ad secundum et tertium, itidem habere locum.

Ad quartum respondit, locum non habere.

(64. Fas est Episcopo servitiis suis adjungere saltem geminos Canonicos cathedralis, seu etiam collegiatarum, attamen non potest seligere Canonicum, seu dignitatem, neque etiam Coadjutorem. Ita ex pluribus decretis Sacræ Congregationis, et Bened. XIV, Institut. Eccl. 107, § 57.

(65. Ex lege Concilii Trident. sess. 24, cap. 12, possunt cogi Canonici Episcopo celebranti vel alia pontificalia exercenti assistere et inservire. Porro ex decretis Sacræ Congregationis dicimus Episcopo in cathedrali celebranti in pontificalibus inservire teneri omnes, iis exceptis, qui legitimis vacationi-

bus absunt. Tenentur vero etiam præstare illi munus Subdiaconi, quod verum est etiamsi Episcopus celebret, seu ordines ministrat extra cathedralem, intra dioccesim et suburbia, tenentur enim etiam tunc præstare munus Diaconi, Subdiaconi, presbyteri assistentis et illorum Canonicorum qui Episcopo ordines ministrant cum Archidiacono adsunt. Ita ex pluribus decretis Sac. Congr., ib. § 60.

(66. Porro hæc assistentia locum habet etiam cum Episcopus in sua cathedrali præsens est Missæ, et divinis officiis diebus Dominicis et festis etiam non solemnibus, et in diebus ferialibus Quadragesimæ. Quod verum est etiam quando Episcopus in aliis Ecclesiis civitatis pontificaliter celebrat, vel paratus assistit cum pluviali et mitra, aut cum cappa divinis officiis, et Missæ solemnibus, aut alia pontificalia exercet, si tamen numerus sufficiens Canonicorum et ministrorum in Ecclesia cathedrali remaneat. Hæc valent etiam dum Episcopus in cathedrali adest concioni diebus Quadragesimæ et aliis intra annum, non vero si cum cappa assistit concioni quæ habetur in aliis Ecclesiis civitatis, etiam exemptis. Ibid.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(67. Ad plenam cognitionem materiæ de qua agit hoc in articulo auctor valde conducit referre dubia in Sacra Congregatione Rituum proposita ad instantiam Archiepiscopi, tum capituli Hispalensis, resolutionesque ab ea datas, quas non Urbanus VIII, ut per errorem asseruit Scarfantionius ad Cæcoper. animadvers. ad lib. IV, tit. 7, num. 26 sed Clemens VIII confirmavit die 17 Junii 1592.

Primum dubium est: « An, quando Archiepiscopus solemniter celebrat, vel alia pontificalia munia exercet, compellere possit dignitates, canonicos et universum capitulum Ecclesiæ metropolitanæ, ut sibi assistant? »

Secundum: « Quod sic, quonam ritu, et a quibus interveniendum erit? »

Tertium: « An, quando contigerit ut Missa per eundem Archiepiscopum solemniter celebranda, vel aliæ functiones pontificales sint exercendæ extra metropolitanam in alia Ecclesia ejusdem civitatis, vel suburbiorum, possit similiter compellere complures, ut sibi inserviant et assistant, etiamsi ipsa Ecclesia esset collegiata, et in ea dignitates et Canonici existerent? »

Quartum: « An dignitates, Canonici, capitulum teneantur Archiepiscopum accedentem ad Ecclesiam diebus festis cappa indutum comitari, et ex quo loco? »

Quintum: « An etiam in reditu debeant eum reducere, et ad quem locum? »

Sextum: « An si privatim ad Ecclesiam venerit, sit ei obviam eundem, rediens sit reducendus, et quomodo? »

Septimum: « An decens sit Archiepiscopum cum cappa incedentem, unam, aut duas dignitates ad latus suum admittere? »

Octavum: « An Archiepiscopo in Ecclesiam intranti prima ex cæteris præstantior dignitas debeat offerre aspersorium? »

Nonum: « An primam et præstantiorem dignitatem in ordine sacerdotali obtinens teneatur pluviali indutus assistere, et servire de libro Archiepiscopo solemniter celebranti, sive alias pontificales functiones exercenti? »

Decimum: « Quoniam diaconali habitu induti debeant assistere, elevare fimbrias, imponere et deponere mitram, et qui Evangelium et Epistolam cantare teneantur, et debeant? »

Ad primum et secundum respondit Sac. Congr., « posse Archiepisc. de decreto S. Concilii Trid. c. 12, sess. 24, de Reformat., supradictos compellere ut sibi assistant et inserviant. Modus autem assistendi et inserviendi is esse debet quem regulæ Pontificalis Romani præscribunt. »

Ad tertium, « licere Archiepiscopo eosdem compellere, quoties ad alias ejusdem civitatis et suburbiorum Ecclesias accedit ad aliquod speciale munus exercendum. Verum cum honoris et servitii sui causa voluerit ab Ecclesia metropolitana dignitates, Canonicos, aliosque capitulares extrahere, qui sibi solemniter celebranti, vel pontificalia exercenti assistant et inserviant, curet, ut par est, ne ipsa Ecclesia metropolitana ministris omnibus destituatur, debitoque cultu et officio defraudetur. Accedens vero ad Ecclesias in quibus aliæ sint dignitates et Canonici, curet quoque Dom. Archiepiscopus pro sua prudentia, ut omnes confusionis, et perturbationum occasiones removeantur, et suas dignitates et Canonicos Ecclesiæ metropolitanæ debere omnino præcedere dignitates et Canonicos Ecclesiæ collegiatae. »

Ad quartum, quintum et sextum. « Dignitates, Canonicos et capitulum debere ad cubiculum accedere, ubi Archiepiscopus induitur cappa, et eum ad Ecclesiam venientem debito cum honore comitentur. In reditu debere etiam saltem usque ad ostium domus ipsum Archiepiscopum associare. Eo vero veniente sine cappa, nonnullos ex dignitatibus et Canonicis ad ostium Ecclesiæ, et in reditu similiter usque ad ostium Ecclesiæ, ipsum comitari debere. »

Ad septimum, « Archiepiscopum cum pontificali cappa incedentem, neminem arrogare sibi debere, ut se non vocatum ad ejus latus adjungat. Ipsum vero Archiepiscopum pro sua dignitate magis decere, ut solus incedat, quam ut ullas dignitates et Canonicos, qui sua membra et subditi sunt, ad latus suum habeat. »

Ad octavum, « debere primam dignitatem aspersorium Archiepiscopo offerre, eaque legitime impedita, illud ipsum munus subire debere aliam dignitatem aut personam quæ dignior ex capitulo aderit. At in alia collegiata Ecclesia aspersorium esse porrigendum a præposito ejusdem Ecclesiæ, vel, quocumque nomine nuncupetur, ab illo qui in illa digniorem personam gerit, ut tam Ecclesiæ quam personæ porrigenti ea ratione honoris tribuatur. »

Ad nonum, « obtinentem primam dignita-

tem in ordine presbyterali pluviali indutum fungi debere assistentis munere, qui de libro serviat, naviculam Archiepiscopo in throno assistenti porrigat, eundemque ibi thurificet. Eo vero legitime impedito, digniorem de capitulo in ordine etiam presbyterali præsentem, et legitime non impeditum, debere in ejus locum succedere. »

Ad decimum, « Assistendi munus ad Archiepiscopi latera, fimbrias elevandi, imponendi et deponendi mitram, aliaque in Pontificali descripta agendi, pertinere ad Archidiaconum et antiquiorem Diaconum, Canonicos ambos dalmaticis indutos. Quod si Canonicus Diaconus nullus aderit, ultimum presbyterum Canonicum in diaconali tamen habitu succedere debere, qui stabit a sinistris Archiepiscopi, et Archidiaconus a dextris, licet ipse Archidiaconus ordine tantum diaconali fuerit initiatus. Epistolam vero et Evangelium cantare debere duos Canonicos ex ordine diaconali et subdiaconali, modo in eadem Ecclesia sint distincti inter Canonicos hujusmodi ordines, alioquin duo ex ordine presbyterali illud munus, per turnum singulos cujuscunque ordinis, peragere debere. Diaconum autem in cornu Evangelii Archiepiscopo ad altare existenti naviculam ministrare, et eum ibi thurificare debere. Et ita observandum, contraria consuetudine non obstante. »

Insuper eadem S. Congr. nonnullas circa prædictas resolutiones fecit declarationes, videlicet:

Primo: « Archiepiscopum ad Ecclesiam cum cappa pontificali accessurum, ut solemniter celebret, vel ut assistat divinis officiis, concioni, aut processioni, vel ut aliud quidquam ex pontificalibus exerceat, curare debere ut capitulo congruo tempore intimetur hora ejus accessus ad Ecclesiam, ad hoc ut ipsum capitulum commode ejus occurrere se accingere possit. Archiepiscopus vero convenientem et congruam horam eligat, v. g. si Missam solemnem in aliquo die festo celebraturus, tunc post Primam in choro finitam, antequam Tertia inchoetur, ad Ecclesiam accedere poterit. Quo casu dignitates, Canonici, cæterique capitulares, statim post Primam completam, facto modico intervallo, prodire obviam debent Archiepiscopo ad ejus cubiculum; eundemque ad Ecclesiam venientem deducere, quemadmodum ipsa Sac. Congreg. faciendum esse respondit. Cumque Archiepiscopus in Ecclesiam venerit, Tertia suo tempore inchoanda erit juxta præscriptum Cæremonialis Romani. Idque omnino faciendum est, non obstante quacumque consuetudine. Cum enim pastor teneatur ad suam Ecclesiam accedere, ut ex ejus præsentia divinus cultus augmentum, Ecclesiæque ipsa splendorem et decorem non modicum recipiat, non est ei præbenda occasio, vel non accedendi, ex quo debita cum decencia id facere nequeat, vel indecenter accedendi. »

Secundo: « Quod, quando Archiepiscopus, finita Missa, vel aliqua alia hora Canonica, est ab Ecclesia discessurus, tantisper ces-

sandum est a reliquis horis decantandis, quousque capitulares abeuntem Archiepiscopum reducere possint, ut in omnibus congrua obedientia praelato et Deo debitum obsequium reddatur. »

Tertio: « Quod si interdum contingat, quod Archiepiscopus, vel processione, vel aliqua hora Canonica nondum finita, abire compellatur ob aliquam sui necessitatem, tunc opus non erit ut omnes capitulares cum eo discedant, sed sat erit, si quatuor de capitulo eum domum reducant, ita ut processioni, vel divinis officiis impedimentum, aut perturbationis occasio non praebeatur, quamvis haec, quae perraro eveniunt, minime consideranda sint. »

Quarto: « Ad evitandas perturbaciones et confusiones in diebus quibus Archiepiscopus divinis officiis est interfuturus, campana aliquanto citius pulsetur, ut tempore rebus agendis consideratis, cuncta rectius fiant, et horis congruis expleantur. »

Quinto: « Quod Archiepiscopo accedente ad chorum cum cappa pontificali, capitulares eum associantes eundem habitum gestare debeant, quem in ipso choro deferre solent. »

Sexto: « Omnes dignitates, omnesque capitulares qui ad chorum vadunt, teneri omnino Archiepiscopum associare. Qui autem legitimo impedimento detenti dicantur, dispositioni juris communis relinquuntur. »

Septimo: « Tunc dici Archiepiscopum privatim ad Ecclesiam accedere, cum sine cappa pontificali accedit. »

Octavo: « Nullam dignitatem, Canonicum, aliamve personam propria auctoritate, vel vigore cujusvis consuetudinis ad latus Archiepiscopi cappa, vel sacris vestibus induti, accedere debere, nisi ipse ex sua humanitate aliquem vocare velit. »

Nono: « Cum prima dignitas Archiepiscopo Ecclesiam introeunti aspersorium porrigere teneatur, ut supra dictum fuit, ipsa prima dignitas, si legitimo aliquo impedimento detenta sit, huic muneri supplere debet prima dignitas ex iis omnibus quae in Ecclesia sunt praesentes. Legitimi autem impedimenti causa non censetur quod aliquis in choro sit occupatus, nisi sacris vestibus ad Missam majorem celebrandam sit indutus. »

Decimo: « Debere quemlibet capellanum, vel portionarium Ecclesiae ad id deputatum Archiepiscopo librum manibus sustinere; primam vero dignitatem debere ad dexteram Archiepiscopi celebrantis parumper caput supponere ad librum, quem capellanus, vel portionarius manibus sustinet, dum in sede eminenti intonat ipse Archiepiscopus hymnum *Gloria in excelsis*, cantat orationem, *Credo* et *Dominus vobiscum* ad Offertorium. Sed quando Archiepiscopus legit Epistolam, Graduale et Evangelium, prima dignitas nil aliud agens stabit loco suo erecta, digito autem indicare debet legenda in libro, quando Archiepiscopus est ad altare; neque dedignari debet prima dignitas quod his muneribus fungatur, cum maxime ho-

torifica sint, et eadem omnino faciat prior Episcopus Cardinalium, dum assistit Summo Pontifici celebranti. »

Undecimo: « Primae dignitatis assistentis propriam sedem esse scabellum ligneum, quod tamen permittitur depinctum, vel aliqua pulchra forma fabricatum, dummodo sit nudum, nullo scilicet panno vel alia re coopertum, in plano solii ad partem dexteram Archiepiscopi praeparatum, atque eo loco et ordine situm, ut prima dignitas assistens ad altare et ad faciem Archiepiscopi respicere possit, qui locus dignior reputatur locis Diaconorum ministrantium. »

Duodecimo: « Cum Archiepiscopus solam concionem auditurus ad Ecclesiam accedit, etiamsi cappa pontificali indutus eam concionem auditurus sit, non omnes capitulares, sed aliqui duntaxat, videlicet saltem duo ex dignitatibus, et sex ad minus ex Canonicis, Archiepiscopum venientem ad ostium Ecclesiae recipere, atque ad eundem usque locum abeuntem reducere debent. »

(68. De obsequiis vero debitis Episcopo Suffraganeo, vel Coadjutori ad Ecclesiam accedenti, vide Scarfantoni ad Ceccoper. lib. II, tit. 2, fere per tot.)

ARTICULUS VII.

Canonici quoad praecedentiam et praerogantiam.

(1. Canonicus Ecclesiae collegiatae urbis Romae dignior est Canonico cathedralis alterius civitatis, etiamsi cathedralis capitulum sit exemptum. Sic delaravit Sac. Cong. Conc. super cap. 12, sess. 24, de Reformat., ut refert Monacell., tom. 1, tit. 2, formul. 15, num. 1, et Zerola in Praxi Episcop., part. II, verb. *Canonici*, § 4, ubi etiam refert, ita in facto fuisse responsum ab eadem Sac. Cong. de mente Summi Pontificis Episcopo Rossanensi. (2. Canonici cathedralis in omnibus, et per omnia sunt praerferendi Magistratui saeculari, quando non est de perpetuis, et maioribus, et concionator debet ipsos prius salutare quam magistratum. Sacra Congreg. Rituum in Tirason., 3 Oct. 1605, et in Capuana, ubi sequentia dubia fuerunt proposita et resoluta. *Primo*: « An capitulo Ecclesiae metropolitanae debeatur praecedentia super magistratum saecularem ejusdem civitatis in omnibus functionibus ecclesiasticis? » *Secundo*: « An concionator debeat salutare prius capitulum, vel magistratum? » *Tertio*: « An absente Archiepiscopo magistratus debeat salutari eum titulo Illustrissimi, et Capitulum cum titulo Reverendissimi? » Sacra Congregatio Rituum, 23 Januarii 1700, respondit: « Ad primum deberi; Ad secundum affirmative; Ad tertium negative in casu proposito. » Et in alia Vercellensi 11 Augusti 1691, declaravit quod concionator debet prius salutare Canonicos quam gubernatorem civitatis. (3. Canonici cathedralis thurificandi sunt ante magistratum, tam in Ecclesia cathedrali quam in aliis, in quibus simul convenerint, ubi talis est consuetudo, Sacra Congreg. Rituum in Narnien.,

16 Jun. 1605. (4. Canonici cathedralis extra Ecclesiam nullam habent jurisdictionem incedentes uti singuli, ideo cedere debent habentibus jurisdictionem et civitatem representantibus, praesertim si de consuetudine in contrarium non constaret. Sacra Congreg. Rit. in Veronen., 15 Martii 1594. (5. Canonici cathedralis omnibus aliis Canonicis praecedunt; cap. *Statuimus, de Majoritate et obedientia*. Cathedralis enim Ecclesia collegiata vincit honore, et superat dignitate; c. *Venerabili* in fine, ubi Gloss. de verb. significatione, cap. *Cum Canonicis de Cens.* Rota in Caesaraugustana Synodi, 13 Februar. 1626, coram Coccino. (6. Adeoque Canonici cathedralis in omnibus functionibus praerferendi sunt Canonicis collegiatae, non obstante consuetudine in contrarium. Sac. Cong. Rit. in Tusculanen., 19 August. 1619. (7. Etiam in omnibus actibus in propria collegiata exercendis. Eadem Sac. Cong. in una Fundan., 2 Oct. 1597. (8. Imo Canonici cathedralis praecedunt Canonicis collegiatae etiam in associandis funeribus defunctorum propriae ipsius collegiatae Parochiae. Ead. Sac. Cong. Rituum in Praenestina Cavarum, 18 Augusti 1618. (9. Sed quoad funera, et praecedentiam Canonicis debitam in ipsis, melius in articulo sequenti.

(10. Canonici cathedralis et collegiatae, et alii clerici saeculares, semper praecedere debent regularibus, etiam in iis regularium Ecclesiis. Eadem Sac. Cong. Rit. Trullen., 12 Mart. 1616, et in Firmiana Terrae Victoriae, 31 Mart. 1618; et sic statuerat Clemens VIII, in sua *Constit.* incip. *Decet Romanum Pontificem*, sub die 20 Februar. 1601, et in alia incip. *Quae ad removementum*, sub die 5 Novembr. 1603, quas Clementis VIII Constitutiones observari mandat Gregorius XV, in sua *Constitutione* incip. *Alias a felicis*, sub die 13 Augusti 1622. Et de jure etiam communi Clerici saeculares praecedere debent regularibus, ut colligitur ex cap. *Alia causa* 6, et cap. *Legi Epistolam* 36, q. 1, cons. 16. (11. Canonici et presbyteri Ecclesiae cathedralis debent praecedere omnibus curatis parochialium Ecclesiarum in omnibus processioneibus et functionibus, etiam in propriis ipsorum curatorum Ecclesiis. Sac. Cong. Rit. in Pisaur., 23 Maii 1603, et in Sutrina, 2 Augusti 1603. (12. Etiamsi curati sint colla et stola induti. Ead. Sac. Cong. Rituum in Ripana, 30 Julii 1616, et in Viterbien., 25 Julii 1611. (13. Canonici cathedralis si ob intemperiem aeris resideant in alia Ecclesia, rector illius debet sedere post Canonicos supra mansionarios et reliquos presbyteros, et si fuerit protonotarius, praecedat Canonicis ut singulis, non autem capitulariter. Sac. Rit. Cong. in Concordien., 16 Maii 1601. (14. Canonici cathedralis in Ecclesia parochiali dignior locus debetur immediate post Episcopum, et post Canonicos sedere debet rector. Sac. Cong. Rit. in Turritana, 14 Februarii 1632. (15. Canonici collegiatarum Ecclesiarum praecedere debent omnibus rectoribus, curatis, plebanis, ac presbyteris Ecclesiarum parochialium in

publicis processioneibus et functionibus, etiam synodalibus. Sac. Rit. Cong. in Verulien., 11 Decembr. 1613, et in Senogalienen., 23 Mart. 1619, et 4 Aprilis 1620. (16. Etiamsi ante erectionem in collegiatae mistim incederent cum dictis rectoribus. Eadem Sac. Cong. in Syracusana, 20 Decembr. 1601. (17. Vel inferiores Ecclesiae essent antiquiores, et fuissent in quasi possessione praecedendi ante erectionem. Eadem Sac. Cong. in Illerdensi Praeeminentiarum, 26 Junii 1602, ubi subditur « hoc procedere, etiamsi in erectione adsit clausula sine praedicio alicujus. » (18. Canonici tamen, qui sine cruce suae Ecclesiae, et sine inventu capituli tanquam singuli incedunt, non habent praecedentiam supra curatos. Eadem Sac. Cong. in Sutrina, 3 Decembr. 1603. (19. Canonici capitulariter et processionaliter procedentes praerferuntur abbatibus benedictis. Eadem Sac. Congreg. in Valven., 8 Julii 1602. (20. Canonicis et dignitatibus extra Ecclesiam praecedere debet praelatus utriusque signaturae referendarius. Eadem Sac. Cong. Rit. in Veronen., 6 Junii et 4 Julii 1626.

(21. Canonicus prius factus debet praecedere aliis post ipsum admissis, etiamsi sint doctores. Sacra Congreg. Rit. in Mediolan., 29 Nov. 1603, et in Panormit., 15 Maii 1610. (22. Et etiam in Congregationibus, et ubique Canonici Ecclesiae cathedralis, licet non sint doctores, praerferendi sunt presbyteris non canonicis, licet sint doctores. Eadem Sacra Congregat. Rit. in una Bituntina, 9 Januar. 1608, in haec verba: « Cum in Congregationibus quae fiunt coram Episcopo Bituntino vel vicario generali, pro examine ordinandorum, admittantur nonnulli presbyteri doctoratus gradu insigniti una cum aliquibus Canonicis, quaesitum fuit in Sacra Rituum Congregatione, quis locum digniorem obtinere debeat in sedendo, an presbyter graduatus non Canonicus, vel potius Canonicus non graduatus? » Et Sac. Rit. Congregat. respondit, « Canonicos cathedralis Ecclesiae, etiam non graduatos, praerferendos esse omnibus presbyteris non Canonicis, etiam graduatis. » (23. Canonicus presbyter praecedat Canonico antiquiori non presbytero. Eadem Sacra Congreg. in Cabalicen., 3 Augusti 1617. (24. Canonici vero, quando omnes sunt Presbyteri, praecedunt inter se secundum suam receptionem. Eadem Sacra Cong. in Albanensi, 2 Martii 1602; in Orten., 19 Junii 1604; et in Tropien., 10 Decemb. 1619. (25. Ubi autem praebendae sunt distinctae, Canonici provisi de canonicatibus presbyteralibus debent praecedere Canonicis provisis de canonicatibus diaconalibus et subdiaconalibus, licet prius in Ecclesia receptis. Eadem S. Cong. Rit. in Saonen., 11 April. et 11 Octobr. 1601; in Neapolitana, 23 Mart. 1602; in Albingan., 6 Septemb. 1603; et in Tropien., 17 Jun. 1607; et deducitur ex c. *Praecipimus* 26, dist. 93, ibi: « Praecipimus ne Diaconus, quamvis etiam in dignitate, hoc est in officio quolibet ecclesiastico sit, ante presbyterum sedeat; » et